



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 69. Cardinalis Arelatensis artificium ad reddendam Sessionem numero magis conspicuam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1439.

neglexerint. Ambo Præsules hoc responsum ægre ferentes discesserunt: nec tamen inde suspendebatur Sessio, cui nullus ex Arragonia, nullus ex Hispania Prælati interfuit, ex Italia quoque tantum Grossetanus Episcopus, & Abbas de Dona Comanæ diocesis; ex reliquis vero Germaniæ & Franciæ nationibus nonnisi viginti quinque partim Episcopi, partim Abbates (*) mitris decorati aderant.

§. LXIX.

Cardinalis Arelatensis artificium ad reddendam Sessionem numero conspicuam.

Cardinalis ob tam exiguum Patrum numerum pudore suffusus, reliquos Prælatos ad Sessionem allecturus, operis sagacitate quæsit, invenitque. Nam paucitatem Episcoporum suppleturus, omnes, quascunque poterat, Sanctorum reliquias in tota urbe Basileensi conquisit.

(*) Quanta Majestas Synodi Oecumenicæ ubi hos inter viginti mitratos plerique solum Abbates, Episcopi exautorati, aut mere titulari indubium Papam sine culpa & causa deponere præsumunt, dum tamen secundum Canones ad simplicis Episcopi exautorationem duodecim ejusdem ordinis exigantur.

ac per Sacerdotum manus in Sessionem Sæcul. XV. A. C. 1439.
 portari iussit, ut illæ absentium Episcopo-
 rum locum tenerent. „Unde, inquit Æn. Sylv. de
 gestis Conc.
 Basil. l. 2. p.
 37. in fasc.
 „Æneas Sylvius, haud modice singulo-
 rum accendebatur devotio, & ex pie-
 „affectorum oculis juges fluebant lacry-
 „mæ. „ Hoc artificio Arelatensis plu-
 res quidem attraxit, nec tamen Episco-
 porum numerum auxit, sed horum sedes
 occupare cogebantur eorum Procurato-
 res, Archidiaconi, Præpositi, Priores, Do-
 ctiores, quadringenti & amplius, omnes
 bonum pacis declamantes. Itaque per-
 acto divino Sacrificio, Episcopus Massi-
 liensis Decretum legit, avidis auribus ex-
 ceptum. Ex adverso Episcopus Albin-
 ganensis contrariam, quæ interponeba-
 tur, protestationem recitabat, sed nulla il-
 lius habita est ratio (*). Ergo tres pri-
 mæ conclusiones velut totidem articuli fi-
 dei promulgabantur; quo factò Hymnum:
 Te

(*) Æneas Sylvius tamen loc. cit. rem in
 hunc modum narrat: *Albinganensis Episcopus
 protestationem nulli alteri quam sibi legebat,
 nec enim præ strepitu poterat audiri. Tam Lon-
 gobardi, quam Catalani protestationi adhæse-
 runt. . . . Cardinalis quoque Tarraconensis &
 omnes fere Arragones, Longobardi, & Castella-
 ni discesserunt.*

Hist. Eccles. Tom. XXVII. K k

Sæcul. XV. *Te Deum*, cantarunt, & soluta est Sessio
 A. C. 1439. ordine trigesima tertia.

§. LXX.

*Tres primæ conclusiones condito De-
 creto firmatæ.*

Habita est Feria sexta die vigesima se-
 cunda Maji generalis Congregatio,
 cui Principum oratores intererant, & de-
 cretum in priori Sessione conditum appro-
 barunt, non sine magna omnium admira-
 tione (*). Quinimo iidem eo temerita-
 tis progrediebantur, ut etiam Eugenium
 Papam pacis inimicum conviciarentur,
 nihilominus tamen constanter a Patribus
 postulabant, ut sententiam adversus Eu-
 genium pro bono pacis differrent. Car-
 dinalis Arelatensis de tam insperata re-
 volutione immodica lætitia triumphans, Deo
 gratias egit, eo quod voluntatem & cor-
 da eorum, qui paulo ante aperti erant
 Concilii hostes, flectere dignatus esset.

§. LXXI.

(*). *Idem Sylvius testatur*, quod Oratores
 Principum præter omnium spem generali Con-
 gregationi se immiscuerint, id cum Basileenses
 factiosi interpretati essent, quasi eo facto præ-
 teritæ Sessioni præstare voluissent assensum, ipsi
 protestati fuerint, non se ei interfuisse, quod
 missi tantum essent ad negotium pacis non à
 dei. *En! egregiam Historici nostri fidem.*